


05

A

2201





A



Ex Practicâ Philosophiâ

de

Affectibus,

Duce Deo & Praside

M. MICHAELE WENDELERO,

Facult. Philosph. Adjuncto,

publicè disputabit

Johannes Reinhardus Jacobæus

Pirnensis

In Auditorio minori

ad diem 21. Septemb. horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

A. cl. l. CXXXIX.



05 A 2207

N
ri
tus
do
res
ger
ca
mu
li.
fide
Om
cor
me
cus
det
fio
ran
de
ma
2
lat
no
fit
vel
no
eju
vel



Continuatio.

Materiam virtutis circa quam diximus esse affectus, quorum consideratio magnam doctrina de moribus affert lucem. Tanta enim est affectuum vis, ut eorum imperio in hominibus sepe clarissimum rationis jubar magna obducatur caligine, vel etiam penitus obscuretur, nisi huic malo opportunè sufficiens adhibeatur antidotum. Idcirco affectus suos rectè nosse, eosque exorbitare volentes recta rationis freno cohibere, & virtutum mediocritate corrigere, est secundum virtutem vivere: in quo omnis felicitatis Practicæ cardo vertitur. Neque verò falcem in alienam messem mittimus, nec ea, quæ ad Physicam spectant, doctrinæ immiscemus morali. Ab omni alienæ tractationis suspitione nos liberat diversus considerationis modus. Agit de affectibus Physicus partim, partim Orator, partim Ethicus. Physicus eos considerat, ut sunt motus cordis innati, atque in rebus naturalibus occupati: Orator, ut sunt media, quibus in animo excitatis fortissimè homo persuadetur. Ethicus, ut motus cordis in se indeterminati, ad mediocritatem tamen determinandi. Atque sic Physicus scientiæ, Orator suasionis & dissuasionis, Ethicus virtutis gratiâ affectus considerat, in iisque moderandis omnem navat operam. Sint itaq; cum bono Deo

Præcepta.

1. Affectus est passio appetitûs sensitivi exorta in corde ob notitiam objecti, vel boni, quod prosequitur, vel mali, quod fugit.
2. Affectus sunt vel boni, ut amor, desiderium, spes & lætitia; vel mali, ut odium, ira, metus & tristitia.

Explicationes.

1. §. Affectus dicitur passio; quia citò transit. Audit & motio, non activa, sed passiva: item motio non naturalis, vel quòd naturæ sit inimica; quia affectus quibusdam mortem intulisse constat: vel quòd ab externo pendeat principio, scilicet objectivo, quod non modò foris est, sed etiam cum violentiâ quâdam facultatem ejusque organa excitat, adeoque facillimè tandem lædit ac violat.
2. §. Affectuum subjectum est vel remotissimum, vel remotum, vel proximum. Remotissimum est omne animal perfectum: re-

motum est *appetitus sensitivus*; affectus enim est motio partis appetentis, quia versatur circa objectum, non sub ratione veri aut falsi, sed boni vel mali. Proximum est *Cor*. Ut enim nimia animi attentio, quæ cerebri est opus, insaniam affert: ita affectus nimij vim vitæ inferunt. Hoc non fieret, nisi commotiones istæ fontem vitæ occuparent. Pulsus etiam celer vel tardior manifestum dat signum affectûs in corde latentis: quod non minus ex appetitûs motibus apparet, cum quibus cordis mutatio vel maxime conjuncta est; cor enim ad bonum objectum spiritus extrorsum fundendo se dilatat: contra verò ad malum objectum spiritus introrsum recipiendo se constringit.

3. §. Objectum affectuum est vel bonum, unde voluptas, ejusque comites; vel malum, unde dolor, ejusque species oriuntur. Nam non eodem afficimur modo, sed duos è diametro oppositos in nobis deprendimus: unum, quo objectum appetimus; alterum, quo illud ipsum fugimus. Circa utrumque affectus versantur: Circa bonum quidem, quia unaquæque res inclinatur secundum suam fortunam ad aliquid sibi conveniens, quod est ens adeoque bonum; circa malum, non quatenus tale, sed aliâ ratione. Malum enim quod offert, fugit, & hoc, quod fugit, repræsentatur illi, ut bonum. Ergò ad malum sese habet ob rationem boni. Porro utrumque tam bonum, quam malum est verum, vel apparens; Nam voluptate afficimur non semper propter bonum verum; sed quandoque ob apparens, quòd malum sub ratione boni nobis quandoque offeratur. Sic tristitiâ afficimur sæpe ob malum apparens, cum sæpe videatur nobis malum, quod tamen revera est bonum.

4. §. Causa efficiens propinqua affectuum est facultas appetens, quâ, quæ nobis objiciuntur, prosequimur & fugimus. Hic non est existimandum, quasi hæc ratione confundatur causa efficiens cum objecto, cum pro diversa consideratione citra absurditatem facultas hæc sit utrumque; Causa efficiens proxima est reipsum cognitio sub ratione boni aut mali; quia objecta, ut cum Scaligero loquamur (Exercit. 297. Sect. 4. p. 47.) sunt quasi ex alterâ parte efficiens causæ. Ergò quia objectum istud animæ facultatem primò quasi invitat, appellationem causæ non inconvenien-

ter

ter sortitur, cui si jungatur imaginandi vis & naturalis appeti-
tus inclinatio, satis virium ad perturbationem efficiendam adesse
creditur.

5. §. Hoc tamen non excludimus coeli influxum aut tempe-
ramenti vires; quia causæ remotæ, ubi de proximis agitur, meri-
tò reticentur, ne primariæ cum secundariis confundantur. Dum
autem hoc objectum sensibus percipiendum objicitur, unà ab illis
cognoscitur; quia affectuum movere nequit, nisi prius fuerit co-
gnitum, cum, quod non fuerit cognitum, neque abjici, neque ap-
peti queat juxta istud vulgi: Quod latet, ignotum est: ignoti nul-
la cupido.

6. §. Finis affectuum est persecutio boni & fuga mali. Nam
re aliquâ cognitâ sub ratione boni, tanquam grati & jucundi, ex-
citatur affectus ad illam obtinendam: vicissim cognitâ re aliquâ
sub ratione mali, tanquam ingrati & molesti, movetur affectus ad
illa declinanda.

7. §. Ex quibus apparet, qualis processus in affectibus moven-
dis instituat: nimirum cognitionem rei præcedere appetitum:
hinc mentem, quando objectum externum oblatum & cognitum
Phantasiæ beneficio bonum vel malum, jucundum vel molestum
esse judicat, spiritus pulsare animales ad illud vel apprehenden-
dum, vel fugiendum: spiritus motus cor ipsum ferire: cor vibra-
tum pro ratione eâ, quâ levi & amico spirituum & caloris motû
cietur, vel sese dilatare, quasi objectum illud bonum intra sese esset
recepturum; vel, si motû commovetur aspero, se contrahere,
quasi malum objectum vellet excludere.

8. §. In divisione affectuum ad eorum respicimus objectum.
Nam quia affectus potissimum denominantur ex dictione & mo-
do directionis ad objectum sive jucundum, sive molestum, hoc
est vel bonum, vel malum; divisio quoque affectuum ex isto re-
spectû ab objecto potissimum est desumenda. Hinc affectus ob-
jecti boni juvantis naturam & promoventis studium virtutis sunt
quatuor, totidemque numerantur destruentes naturam ipsam.
Ad quæ summa affectuum genera omnes alij affectus, utpote be-
nevolentia, misericordia, pudor, invidia, superbia, desperatio &c.
facilè revocari possunt.

A 3

9. §. In-

9. §. Inter bonos affectus principem obtinet locum amor, qui audit affectus, quo animus bonum amatum sibi aduniri, & unum quasi cum eo fieri cupit. Differt 1. à pietate, quæ est in superiores, ut Deum, parentes, patriam &c. & in bruta non cadit. 2. à dilectione, quæ est in voluntate atque electionem præcedentem importat. 3. à desiderio, quod est appetitus boni absentis. 4. ab amicitia, quæ est amor mutuis alternis confirmatus officiis. 5. à benevolentia, quæ est affectus amoris, iisque tantum competit, quæ voluntatem habent, cum amor etiam brutis conveniat. 6. à charitate, quæ prædicta omnia significare potest, amorisque quandam addit perfectionem.

10. §. Causa amoris principalis est bonum cognitum, similitudinem habens cum amante; quia hoc propriè est causa amoris, quod est amoris objectum. Hoc est bonum in genere acceptum, sive sit honestum, sive utile, sive jucundum: idque vel verum, vel apparens, cum sæpe amemus, quæ bona non sunt, sed talia tantum apparent. Sicut autem bonum est causa amoris per modum objecti: bonum verò non est objectum appetitus, nisi prout est cognitum; ita etiam amor requirit cognitionem boni, quod amatur, quod bonum non possit amari, nisi fuerit cognitum. Cæterum objectum illud cognitum debet esse amanti conveniens, aptum & simile; amans enim cum re amata unum esse, quantum licet, appetit: similia autem maximè appetunt unionem. Notabis tamen, quod apud viros cordatos ad amorem conciliandum semper fortior sit pietatis, virtutis & sapientiæ, quam rerum corporearum, similitudo.

11. §. Causæ minus principales possunt esse plures, ut elegantia ingenij, comitas morum, venustas formæ, convictus, consuetudo, vestitus, cultus, apparatus, munditiæ, & alia hujus generis multa, quibus nonnunquam adjunguntur *Φίλτρα* & veneficia, non tamen verum, sed turpem illicitumque conciliantiam amorem.

12. §. Hinc oritur geminus amor, *licitus* atque *illicitus*, hoc est, bonus & malus, seu honestus & turpis. Licitus ex rectæ rationis judicio res verè licitas & bonas moderatè complectitur: contra illicitus ex depravato rationis judicio res vel illicitas, vel etiam

etiam bonas immoderatè prosequitur. Ille solius est hominis; hîc verò & brutis competit.

13. §. Vires amoris sunt immensæ, ut meritò ei, tanquam victori, omnia cedere perhibeantur. Has ipsas Poëtæ maximè exprimere voluerunt, quando amorem nec Diis, nec Jovi ipsi cedere, sed magis concitatum fulmine esse dixerunt. Hinc ignis, dæmon, cæcus &c. indigitatur, quia amans in amato bona maximè auget nimisque extollit, vitia verò vel non videt, vel nimium extenuat.

14. §. Effecta amoris alia sunt in eo, qui obtinere laborat, alia in eo, qui obtinet, alia in eo, qui obtinere nequit, vel, postquam obtinuit, amittit. Qui obtinere laborat rem amatam, illam desiderat, somnia expectat, cogitat, ab ejus interceptione sibi metuit, tristitiâ afficitur, animi ac corporis ægritudine laborat: dumque ita in assiduâ meditatione & curâ de amato versatur, calor à ventriculo ad cerebrum avocatur, ita, ut indè sequatur cruditas & sanguinis ex haustio, pallor in ore, ut ait Poeta, sedet, maciesque in corpore toto, anhelitus, nec non suspiria ex vehementi animi motû concitata. 2. Rem amatam intentissimè inuictur & neque oculos neque cogitationes aliò deflectit. 3. Mutat sæpe mores, ita ut ex effero fiat mollis & suavis, ex socorde, industrius, ex tacito garrulus, & sic consequenter.

15. §. Qui jam fruitur re amatâ, ei se totum copulat, unit, dedit ac mancipat: ideoque effertur gaudio, inque rei amatæ fruitione suaviter acquiescit. Qui rem amatam obtinere nequit, aut acquisitam amittit, ingenti torquetur sollicitudine. Hinc eum perpetuus comitatur dolor, querimonia, lamentatio, indignatio, Zelotypia, meritorum exprobratio atque interdum ipsa mors.

16. §. Amori contrariantur ira, odium & amor turpis. Remedia præter Theologica sunt vel Physica, vel Moralia. Priora Physicis relinquimus. Moralia sunt principiis obstare, occasiones fugere, temperanter vivere, laborare.

17. §. Desiderium est affectus jucundus, quo bonum absens & conveniens appetitur. Signum amoris dicitur, per quod, tanquam notius quid, amor significatur. Nunquam enim amor reperitur

reperitur sine desiderio, quòd tum quis amet, cum & absentem desiderat & præsentem concupiscit. Causa ergò desiderij est bonum absens. Quòd si unà absit virtus & negligatur, iudicium rationis felicitatem suam haut intelligit; quia non respicit, undè venerit, sed tantùm, quò tendat. Effectus denique sunt iidem, qui amoris, in rem, quam nondum obtinuit; cum primis gaudium & dolor: illud ex objecti adeptione; hic ex objecti frustratione.

18. §. Quia verò immoderatum desiderium, si naturæ terminos egrediatur, mater esse solet plurimorum vitiorum; iccirco curatio affectus hujus non est negligenda. Quamvis quævis amoris remedia huc applicari & possint & debeant, attamen pro ratione affectus hujus, latius amore patentis, duo adhuc peculiariora antidota subjicere placet. 1. *Desiderandum est, quod possibile, licitum ac conveniens est.* Sæpe enim cæco ducti impetû, aut nostra opinione decepti desideramus ea, quæ consequi non valeamus, aut quæ honestum virum haud decent. Itaque hic loci ea est adhibenda prudentia, ut desiderium nostrum ad illud dirigatur, quod maximè nobis expedire perspexerimus. 2. *Expectandum cum modestiâ & spe.* Qui enim modeste de se sentit, ad desiderandum non est pronus, & qui firmâ spe in bonum fertur futurum, patienter expectat desideratum.

19. §. Spes frequenter apud Philosophos usurpatur pro animi perturbatione relatâ ad futurum bonum, cui timor opponitur: nonnunquam refertur ad finem postremum, & significatque fructum universæ virtutis; rectè enim de summo Bono sperat, qui cum virtute vitam ducit. In hoc sensû dicitur affectus, quo, dum bonum futurum appetitur, cor ad illud recipiendum se præparat & dilatat.

20. §. Objectum spei quatuor habet conditiones, per quas actus spei differt ab aliis animi perturbationibus. 1. *Objectum spei sit bonum,* cum spes non sit, nisi de bono; mala enim timeamus, non speramus, nisi sub ratione boni. 2. *Sit bonum arduum & cum difficultate adipiscendi conjunctum.* Nam ea, quæ in nostrâ potestate non consistunt, aliquid obstaculi habent, nec levia, nec parvi momenti sunt, potissimum speramus. Ita differt spes à desiderio, quod est de bono futuro absolute. 3. *Bonum illud sit futurum;*

urum; quia de presenti non est spes, sed gaudium. In quo ipso spes à gaudio differt. 4. Sit bonum possibile; impossibilia enim concupisci quidem possunt, sperari tamen propriè nequeunt.

21. §. Causa spei est bonum absens, quæ maximè in juvenibus reperitur, quòd senes propter rerum usum, caloris defectum, viriumque debilitatem non adeò faciles ac pròni sint ad sperandum.

22. §. Spes valde necessaria est hominum vitæ miræque functiones adjuvat. Nam omnia & facienda & perferenda sine spei condimento insipida, amara, acerba ac molesta sunt: spei verò dulcedine gratissima evadunt.

23. §. Lætitia est affectus, quo se dilatat & extendit cor amplectendo suaviter præsens bonum. Objectum est bonum præsens, non præteritum; in bono enim quiescit, non quatenus est præteritum, sed quatenus istius accepti boni recordatio est præsens, arque ex hâc recordatione objectum illud, tanquam præsens, amplectitur. Estque honesta, quæ ex verè bonis comparatur, & turpis, quæ ex malis ortum trahit.

24. §. Et quatuor hi affectus jucundi tam suavi connectuntur harmonia, ut posterior priorem semper includat. Primò enim rem amamus, amatam desideramus, desideratam speramus, & denique speratam consecuti lætamur. Ita virtutem ob pulcritudinem suam amamus, amatam vehementissimè desideramus, desideratam laborando à nobis acquiri posse speramus, de acquisitâ tandem animitus lætamur.

25. §. Affectuum malorum prior est Odium, quod amori opponitur, ut negatio; affirmat enim amor, cum ad bonum tendit: odium negat, cum recedit à malo, ideoque ex ejus explicatione intelligitur. Indigitatur affectus, quo objectum ingratum fugimus. Differt ab irâ: 1. quia ira est magis generosorum pectorum, quàm odium. 2. Ira in objectum ingratum sub ratione vindictæ agit; odium ab objecto ingrato passionem recipit. Differt ab invidia, quia 1. illud est solius hominis; hæc reliquorum etiam animalium 2. illud est apertum, hæc occulta. 3. Illud sæpe est justissimum; odio enim habemus potissimum mala: bona non odimus, nisi fortè sub ratione mali & noxij. Hæc semper turpis; est

B

est

est enim rerum optimarum, & oritur vel ex virtute, vel ex alterius rebus secundis, quæ invidenti nihil nocent.

26. §. Causa odij est malum, quod vel revera, vel apparenter tale. Hinc fit, ut odium nascatur 1. ab animi elatione. Sic homines perditī & scelerati odio habent leges & Magistratum. 2. à re ipsa, quam averſamur. 3. ex offensione animi malum averſantis & alicujus vel facti vel dicti læsi vel se læsum opinantis. 4. ex occultâ quâdam vi naturæ.

27. §. Odium si valde intendatur, dolorem auget & valetudinem corrumpit. Huic ergò malo, suaviter animum demulcenti, nisi maturè occurratur, atque ægrotus animus aliò traducatur, frustra medicinam parabis, ubi animo altius infederit. Remedia, quæ contra odium faciunt, sunt eadem, quæ adversus iram adhibentur.

28. §. Ira est affectus ortus ex sanguinis & spirituum circa cor accensione propter malum illatum cum ulciscendi cupiditate. Secundum Armandum de Bello Visû consideratur. vel ut est habitus cujusdam vitij, quod opponitur mansuetudini secundum superfluitatem iræ. 2. ut est voluntas vindicandi & puniendi aliquod malefactum. Ita non est passio, nec est in appetitû irascibili, sed in voluntate superiori. 3. Ut est passio virtutis irascibilis, contingens ex hoc, quòd appetitus sensitivus tendit ad destructionem alterius, quod apprehendit contrarium rei desideratæ. Hæc fit vel secundum rationem ordinata diciturq; ira per zelum; vel secundum rationem inordinata, habetque locum in malis.

29. §. Illic quamvis ira cum iracundiâ sæpe confundatur, re ipsâ tamen ab hæc differt. Ira enim est motus; iracundia verò habitus vitiosus irascendo modum excedit: Ira est præceptus animi ad ultionem incitatio; iracundia verò est veluti præmeditata malicia.

30. §. Duplex in irâ motus est: 1. Astrictio & quasi compressio cordis, orta ex malo præſenti: ubi calor sanguis & spiritus ad cor intrò refugiunt, ideoque fit ibi motus à partibus exterioribus ad cor retrorsum. Hinc pallor & membrorum trepidatio animadvertitur. 2. Dilatatio cordis, quâ ex cupiditate ulciscendi & puniendi cum spiritus & sanguis effervescent circa
præcordia

præcordia magno cum impetû foras emittitur: ideoque fit ibi motus à corde ad partes exteriores antrosum. Hinc signa iræ in facie & omnibus membris conspiciuntur, nimirum propter motum sanguinis spirituumque confusionem.

31. §. Causæ iræ sunt vel interiores vel exteriores. Illæ proclivitatem internam; hæ exteriora irritamenta, quibus ira concitatur, norant. Inferior proclivitas est vel à naturâ, vel à fortunâ, vel à nobis ipsis. Ita calidæ naturæ propensiores videntur ad naturam. Qui verò sunt sicciores, iram tardius concipiunt, sed diutius fovent. Ad iram proni existunt omnes ratione languidi, sensû imbecilles, cupiditate immoderati, perturbatione vitiosi, ut pueri, senes, mulierculæ, pauperes, fatui, amantes, nauci, muti, cœcutientes, surdastrî, famelici, sitientes, laborantes, & generatim omnes, qui miseri. Huc quoque pertinent *Φίλαυτοι*, superbi, suspicaces, creduli, curiosi, zelotypi, avari, ambitiosi. Causam afferunt geminam: Quia ejusmodi farinae homines imbecilliores gerunt animos plurimisque sunt expositi offensionibus. Ita qui nobilitate, divitiis, potentiâ, autoritate, aliisve animi aut corporis dotibus reliquos superant, dici non potest, quàm præcipites ad iram ferantur.

32. §. Causæ exteriores sunt vel principales vel administræ. Principales sunt vel res vel personæ molestiam creantes, aut nos sive aliquem nostrorum offendentes: hoc est, omnia illa, quæ tum animo tum corpori adversantur. Offensam maximè auget ratio personarum & conditio. Ab iis enim nos affici ægrè patimur, à quibus benignè tractari conveniebat. Causæ administræ sunt, tempus, locus, aliæque circumstantiæ, quæ nos sæpe ad iram commovent.

33. §. Affectus hic omnium est vehementissimus: ideoque, si intra metas non contineatur, plurimum nocere solet, non tantum aliis, sed & ipsorum iratorum corporibus, animis & fortunis. Remedia sunt: 1. animus contra iram obfirmandus est. 2. Principiis obsistendum & cavendum est, ne mentem nostram ira præoccupet, sibi que subjiciat. 3. Vindicta in aliud tempus est differenda. 4. Ne rebus minutis & sordidis exacerbemur. 5. In nosmetipsos descendamus. 6. aliorum monita sequamur. 7. Rectè adhibetur Musica,

34. §. Metus seu timor est affectus molestus ex spirituum coarctatione cordisque compressione ob imminentis mali fugam ortus. Juxta quosdam videtur metus à timore differre, sed cum tanti momenti non sit hoc discrimen, ideò à multis non attenditur. Timor juxta Armandum de Bello Visû tribus sumitur modis: 1. pro habitu doni spiritus sancti. 2. pro actu vitioso Fortitudini opposito. 3. pro quadam passione appetitûs irascibilis. Quæ ultima acceptio est hujus loci. Differt à tristitiâ: 1. Metus respicit malum futurum, tristitia præsens. 2. Ille minus, hæc plus consilij admittit. 3. Ille vehementior, hæc perniciosior est. 4. Ille ad appetitum irascibilem, hæc ad concupiscibilem refertur.

36. §. Objectum metus est malum. Per malum intelligimus 1. omne malorum genus, sive sumatur *positivè*, sive *privativè*, quatenus per malum privatur bonum: seu *positivè*, quatenus per bonum inducitur malum, bono amato adversum, seu omnis generis incommoda & calamitates. 2. *Malum impendens*, sive sit verum, sive apparens, atque ita vel simpliciter, vel secundum quid, non tamen secundum nudam & vanam persuasionem impendeat; nisi enim malum quoddam se ostendat, metus est nullus. 3. *Malum impendens* cognoscatur. Licet metus quandoque versari videatur circa objectum ignotum; ignoti tamen propriè loquendo uti nulla cupido, ita etiam nullus metus. 4. *Malum sit futurum*; quia præsens, quâ tale, non metuimus. Quod si metuamus, id sit respectû continuationis; quâ ratione malum præsens futurum est. 5. Malum istud fugiatur. Fuga autem non semper notatur *imperata*, quâ vel loci mutatione, vel externâ aliquâ ratione objectum malum fugiatur, sed præcipuè *elicitâ*, quâ ratione appetitus fugit malum.

37. §. Causa timoris sunt: 1. Pericula, ut offensio & ira Dei, magnæ & inusitatæ tempestates, fulgura, fulmina, excidium patriæ, amissio religionis, libertatis, parentum, conjugum &c. Item infamia, dedecus, paupertas, fames, exitium morbi, cruciatus &c. 2. Offensiones eorum, qui possunt lædere. Magis autem timentur astuti, vafri, callidi, quàm simplices, aperti & candidi.

38. §. Augetur metus 1. si malum imminens nondum unquam venerit.

venerit usu; non experti enim minus timent. 2. Si sit repentinum. Hinc majus apparet, quàm esse solet. 2. Si sit magnum & grave, quod difficillimè aut nullo modo, propulsari & evitari posse credatur.

39. §. Effecta metûs partim in animo, partim in corpore, obvia sunt. In animo relinquitur perturbatio & confusio cogitationum. Indè nulla animi ægritudo perniciosior est timore. In corpore apparet torpor, frigus, sudor, tremor, trepidatio, horror, pallor, hæsitatio vocis, canities. Nam quia in hoc affectû est fuga caloris introrsum, ejus quidem, qui est extra cor, versus cor: ejus autem qui est in corde, in penitissima cordis: iccirco, calore ita deserente membra, corpus metuentis friget, torpet, sudat, aut similes patitur mutationes, quæ tamen omnes ab iisdem ferè causis perveniunt.

40. §. Metui opponitur 1. Securitas, cum magnitudinem periculi, in quo versamur vel ignoramus, vel non perpendimus. 2. Fiducia, cum adversus impendentia pericula in animis nostris confirmamur. 3. Audacia, cum ad depellenda mala vel bona ardua impetranda, animus sine consilio & prudentia exsurgit.

41. §. Tristitia denique est affectus, quo cor ob malum præsens constringitur. Objectum hujus est malum præsens, sive sit animi, sive corporis, sive fortunæ. Et præteritum habet hîc locum, sed quo ad recordationem. Vide thesîn 23. de lætitiâ.

42. §. Oritur tristitia vel ex malorum præsentia & recordatione, vel ex absentia bonorum, quorum amissio nobis admodum est molesta. Hæc mala, quò graviora sunt, eò plus sibi doloris & cruciatûs secum trahunt: quò verò leviora, eò minus tristitiæ adferunt. Ad augendam tristitiam non parum faciunt ingenium melancholicum & solitudo, cum quis mala sine aliorum interventû, in locis præsertim desertis assiduè ob oculos sibi ponit.

43. §. Tristitiæ effectus sunt varij. Nam 1. compressionem inducit cordi, ut difficulter spiritus colligat, & si habenæ dolori laxentur, sequitur oppressio repentinusq; interitus. 2. Lacrimas exprimit; quia cordis impressio ipsum etiam cerebrum contrahit & humorem elicit, nisi cerebrum sit siccius, aut summus dolor

omnem absumat humiditatem, antequam in lacrimas solvatur.
3. Homines ad agendum ineptos facit, ut quasi vinculis constricti videantur. 4. Valetudini magis nocet, quam ullæ aliæ affectiones; quia calorem & sanguinem retrò pellit, corpus arefacit, exhaurit, debilitat &c. 5. Functiones animæ impedit. 6. Plurimorum malorum est causa.

4. §. Non tamen omnistristitia est turpis. Debet enim virum bonum pro re natâ gaudere & tristari, quandoque tristari & dolere. Ita honestum est commoveri cruce cœlitus immisâ: laudabile est, lugere conjugem, liberos, parentes aliosque amicissimos: utile est ob vitium tristari ad cohibendum animum immoderatè gestientem. Remedia, cum nota sint, sicco præterimus pede.

QUÆSTIONES.

Questio Prima.

An affectiones sint naturales, an verò usû acquisitæ?

1. §. Utrumque affirmatur. Affectus esse naturales, non indiget probatione. Videmus enim quosdam ad tristitiam, quosdam ad lætitiã, quosdam ad metum &c. naturâ propendere, neminemque tam composito esse animo, ut aliquam affectionis commotionem apud se non sentiat.

2. §. Verùm & voluntate comparari, probatur. Nam naturales isti motus maximè disciplinâ vel augentur vel minuuntur. Ergò si ad istas naturales propensiones quotidianæ accedunt exercitationes, semper evadunt majores.

3. §. Distingue tamen inter affectuum originem, & confirmationem. Origo nobis naturalis est; quia semina seu inclinationes per naturam nobis insunt & per objecta excitantur. Ab eâdem naturâ sunt sensus, affectuum ministr & temperamenta, quorum adminiculo evadunt aut segniores aut vehementiores. Naturales igitur sunt, quatenus naturaliter concipiuntur: Confirmatio

matio verò auctio & moderatio affectuum usū, exercitatione & consuetudine ut plurimum comparari potest. Hęc enim accedente affectus sunt voluntarij, seu rectius consuetudinarij. Sæpe etiam ratio & voluntas ita moderantur affectus, ut emergat *μετριοπάθεια*, quæ ut virtus, maximam meretur laudem.

Questio Secunda.

An affectus sint in animâ sentiente, an verò in animâ rationali ?

1. §. Quidam affectus collocant in animâ rationali: ideoque voluntarios esse statuunt. Quidam docent, eos esse in animâ sentiente, adeoque ad sensitivum pertinere appetitum. Constat enim nullum affectum fieri sine motione sanguinis, spirituum & alicujus partis corporis, adeoque uno actu minimè animam simul & corpus mutari. Nullus autem voluntatis vel mentis actus primò fit cum motione instrumentorum; quia anima intelligens, ut sine organo corporis cognoscit, ita sine ejus passione appetit. E. motus illi in animâ rationali esse nequeunt.

2. §. Insuper affectus in bruta animalia cadunt. 1. Nam positis causis sufficientibus & non impeditis, sequitur effectus. In brutis ponuntur, vid. anima sentiens, & sic etiam facultas appetitiva cum requisitis affectuum necessariis, ut sunt motio appetitus, imaginatio, temperamentum, spiritus. 2. Experientia etiam testis est, animantes rationis expertes amare, odisse, sperare. Ergò affectus in animâ rationali collocari nequeunt. Quin quòd affectus sæpe, nobis invitis, surgunt. Hoc fieri non posset, si in voluntate residerent.

Questio Tertia.

Num affectus simpliciter sint mali?

1. §. Ita quidam existimant; quia humanam evertunt tranquillitatem. Verùm non absolutè & per se omnes affectus tales esse

esse manifestum est ex sequentibus rationibus. Nam 1. affectus, ut est talis, à Deo suam ducit originem, quòd homo à Deo & naturâ Dei famulâ & ministrâ, donatus fuerit facultate irascendi & concupiscendi, quæ movet & recipit in se affectus. Ergò, ut tales & sine adhærente inordinatione considerati, non sunt mali. 2. Ex recto affectuum usû variæ atque eximiæ eliciuntur utilitates. Sunt enim hi nobis insiti, ut potentiùs in optatum feramur finem, cumlatiùs illum assequamur & jucundiùs eo fruamur. 3. Scriptura sacra hos adprobat. 4. Fuerunt in homine ante lapsum in statû integritatis, in quo statû nullus vitiis debetur locus, ut ex Theologiâ docendum est.

2. §. Sciendum tamen est, affectus considerari dupliciter. 1. quatenus sunt motus naturales animæ sensitivæ. Quo respectû boni sunt, bonitate scilicet naturali: moraliter nec boni nec mali; quia ob affectus nec laudamur nec vituperamur. Nam neque qui timet, neque qui irascitur, laudatur; nec, qui omninò irascitur, vituperatur, sed qui quodammodo, seu quatenus deficit exorbitatque. 2. quatenus imperio rationis subjacent vel ab iisdem faciunt secessum, adeoque sic moraliter boni vel mali evadunt. Nam ut virtus & vitium ex animo agentis æstimantur, ita & affectus, num boni vel mali sint, ex agentis animo judicantur. Ergò boni sunt moraliter, qui dictamini rectæ rationis subjiciuntur, mali, quando à rectæ rationis tramite aberrant. Ideoque non sunt hæc confundenda: Quidam affectus sunt mali, & affectus sunt mali, quâ sunt affectus. Ita extensio manus non est mala, quatenus ex extensio manus, quamvis extensio manus ad rem illicitam sit mala. Ita affectus quidam mali esse possunt, qui rectæ repugnant rationi, neque tamen mali sunt, quatenus sunt affectus: v. g. irasci, quatenus tale, non est malum, quamvis innocenti irasci sit malum.

3. §. Notandum præterea, quòd inter affectus sæpe numerò recenseantur quædam, quorum statim nomina aliquam indicant pravitatem, & plus sunt, quàm simplices affectus, ut invidia, *ἰπυχαιρέκακία*, æmulatio, impudentia & similia. Nam ut turpes actiones, ceu sunt furtum, scortationes, adulterium non sunt actiones

actiones tantum, sed actiones à lege aberrantes: ita etiam invidia, *ἰνιδία* & si quid simili modo afficit animum, non sunt affectus tantum, sed affectus à rectâ deflectentes ratione. Ita invidia plus est, quàm dolor, adeoque plus, quàm simplex affectus, talis enim est dolor, qui ex prosperitate & commodo proximi percipitur. Sic & *ἰνιδία* plus est, quàm voluptas, quæ ex proximi incommodo percipitur.

4. §. Cæterum non tantum affectibus annumerantur, quibus pravitas, sed etiam quibus bonitas moralis inest. Ita *σοφία* affectus judicatur bonus; siquidem parentes amare & liberos amare, nemo dixerit malum, sed bonum: non tamen sunt simplices affectus, sed affectus cum sanâ ratione conspirantes; quia notant non saltem amorem, sed amorem illius, quem & lex naturæ & recta ratio amore dicitat.

5. §. Ergò hinc sequitur I. *non esse affectus ex natura tollendos, sed mitigandos, ad certam mediocritatem redigendos & honestate imbuendos.* Quanquam frenatio illa affectuum valde sit difficilis, non tamen est æstimandum, quasi nullo modo fieri queat.

6. §. Sequitur II. quomodo illud Philosophi effatum lib. 2. Ethicorum sit intelligendum: *homines propter affectus nec bonos nec malos dici, neque etiam laudari neque vituperari:* scilicet non de affectibus per similitudinem & metaphoram adeoque improprie, sed de proprie sic dictis: neque de mixtis & à rectâ ratione deflectentibus, sed simplicibus & nudis affectibus in se neque Theologicè, sed Philosophicè consideratis. Neque etiam loquitur de affectibus, quatenus sunt & evadunt boni & mali ex accessu & recessu moderationis vel bonæ vel malæ; sed ut sunt motus naturales & moraliter per se neque boni neque mali, sed indifferentes.

7. §. Sequitur III. *virum bonum & sapientem non omnino debere esse ἀσώφον*, ut nullis animi motibus, utpote amore, desiderio, spe, lætitiâ &c. tangatur, sed talem, qui affectus ejusmodi rectâ coerceat ratione, dirigat & moderetur. Nam, ut percipimus, affectus per se naturaliter sunt boni, moraliter neque boni neque mali.

Questio

Questio Quarta.
**Unde in homine pugna affectuum
& rationis?**

1. §. Inter appetitum & rationem intercedere gravem quamdam pugnam negari haud poterit, cum quivis in semetipso sentiat diversas inclinationes & propensiones, dum aliud ratio, aliud appetitus suadet sensitivus. Agnovit hanc pugnam Aristoteles lib. 1. Ethic. Eandem luctam & alios gentiles intellexisse certum est. Notissima est Medæ querela apud Ovidium: *video meliora proboque, deteriora sequor.* Pertinet huc Phædræ apud Senecam: *Vos testor omnes cœlites, hoc, quod volo, me velle.*

2. §. Cæterum uti omnes dari hanc luctam facile inter se conveniunt, ita de hujus origine non eadem omnium est sententia. Præteribo gentiles, qui veram hujus dissidij causam non habuerunt perspectam; quia doctrinam de horrendâ humanæ naturæ corruptione per lapsum primorum parentum introductâ planè ignoraverunt. Mirati quidem sunt sæpe, quâ fiat, quòd, cum reliquæ creaturæ secum non pugnent, in solo homine, omnes creaturas præstantiâ longè superante, vires tantopere inter se pugnent. Papistæ docent: *naturam Protoplastorum in se consideratam, fuisse primitus conditam cum rebellionem virium ortâ ex contrariis propensionibus. Hæc ut coerceretur, Deum addidisse supernaturale donum justitiæ originale, quo per peccatum amisso, concreatam illam virium rebellionem in actum erupisse.* Nostri Theologi nos docent, pugnam rationis cum appetitû ex lapsu primorum parentum unicè dependere: quod ipsum igitur tanquam certum ex Scriptura præsupponimus.

3. §. Nota hîc, *Donaldsonum Scotum, qui lib. 3. cap. 12. Philosophiæ moralis docet, pugnam appetitus sensitivi cum ratione, & luctam carnis cum spiritû esse eadem, graviter esse lapsum, cum maximum discrimen hic constituatur oporteat, ut Theologiæ patres sat explicant, quibus nos hoc intactum relinquimus.*

Quam



Quam tristis Patriæ facies! sed turpibus ausis
Dum patrios vastat sæva Tyrannis agros:
Tu superare doces internos corporis hostes,
Tumultusq; animi sic cobibere studes.
Regia res regere hos: faxit DEUS, ista Tyrannis
Cedat, & hos semper Tu Jacobæ regas.

Suo Commensali dilecto & modesto

f.

Jacobus Weller D.

Doctissimo Dn. Respondenti, Discipulo
meo dilecto.

UT lateris nostri socius, REINHARDE, fuisti,
Signa bis absolvit Sol duodena poli.
Sæpius (ut meminisse potes) bene discite, dixi;
Nam quid, nescimus, vespera sera vehat.
Imminet heu Mavors nobis: arma arma propinquant:
Sanguinis hoc multi signa docere volunt.
Urbs fuit omnigenio divorum munere plena
Pirna, polita, solum fertile, dives opum.
Horum quicquid erit, quod stultus jactat Orbis,
Esse nihil, jam te patria pressa docet.
Has qui querit opes, quas vis non ulla maligni
Militis eripiet; salvus is unus erit.
Ergo, si prudens, pare meliora monenti,
Ut, dum Pirna nequit, te Witeberga beet.

NAM

Nam quibus aries expugnat moenia Pirnae:

Ast hostis nullus te, Witeberga, capit.

Ingenium natura tibi largita politum,

Vincere, quod durum, quo mediat. te potes.

Nos specimen praesens, te quid fecisse, monebit:

Musas perge tuas, ne meliora cadant.

Præses.

Εν χθονὶ λευκορίδων Μουσῶν γυμνάσματα θάλλει

παντοδαπῆς σοφίης εὐσεβείης τε φίλης.

Καὶ Μουσῶν σὺ Ιακωβαίε τὸ γνήσιον ἄνθος,

τὸν δυνατὸς φοῖβος κηρόφιν ἀμφαγαπᾷ,

καὶ τὸν Παρνησὸς θάμα συλλέξαντα κατ' ἡμᾶρ

ἐν κήποισι σοφῶν φύλλα καὶ ἄνθη ἴδεν.

Χρῆσός σοι δοίη χάριν, ὡς ἀρετῆσιν ἐπανθῆεις,

χθῶν καθάπερ θάλλει ἐιαρμηνοῖσι ῥόδοις.

Suo Commensali & amico

M. Johannes Schindlerus

Chemnic, SS. Theol. Stud.

F I N I S.

05 A 2201

ULB Halle 3
003 782 492




VD17

60,







Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Sticâ Philosophiâ
de
 Sectibus,
Deo & Praside
LE WENDELERO,
 Philosoph. Adjuncto,
Licè disputabit
 Reinhardus Jacobæus
 Pirnensis
Auditorio minori
 temp. horis antemeridianis.

STEBERGÆ,
 RÖHNERI, Acad. Typogr.
 MDCXXXIX.